

I. N. J.
SPECIMEN THEOLOGICUM,
DE

MOMENTO ORTUS
FIDEI SALVIFICÆ,

QUOD,

Consensu Max. Vener. Facult. Theolog.

In Reg. Acad. Aboënsi,

MODERANTE

D^{N.} JACOBO
GADOLIN,

RECT. Acad. p. t. MAGNIFICO, atqve S. S. Theol.
DOCT. & PROFESS. Reg. & Ordin. Nec non Reg.
Acad. Scient. Svec. MEMBRO.

Publico Examine subicit

AUCTOR

DAVID H. DEUTSCH,


S. S. L. L. Docens & Con-Rect. Schol. Cathedr.

Die XVI. Februarii Anni MDCCLXXIV.

L. H. Q. A. M. S.

ABOÆ,

Typis JOHANNIS CHRISTOPHORI FRENCKELL.



§. I.

Fides est acceptatio veritatis testimonio cognita. In omni itaque Fide quatuor obveniunt consideranda, nempe: testimonium, perceptio sive cognitio ejus, veritas sive ipsa res, quæ ut vera sistitur, ejusque acceptatio. Testimonium est assertum sive narratio de iis, quæ quis se expertum esse affirmat, quæque auditori vel lectori ceteroquin ita non patent. Notiones propositionesque, quæ sic in mente excitantur, perceptionis sive cognitionis nomine veniunt; quas tunc veras agnoscimus, si subjectum & prædicatum eam habere indolem eamque inter se relationem judicamus sive approbamus, quæ testimonio perhibetur; acceptamus autem eas, si voluntas nostra commovetur, ut easdem quocumque modo nostras faciamus, teneamus, defendamus, nobis adplicandas cupiamus & appropriemus, vel saltem veras esse patiamur. Hinc patet talem esse fidem qualis indoles horum quatuor momentorum. Persona narrans aut est DEUS aut creatura. Ille infallibile, hæc fallibile perhibet testi-

monium; unde oritur divisio fidei in divinam & humanam; ad quas species referuntur etiam ea, quæ a spiritibus ceteris creatis narrari possunt, cum eorum quidam ut nuntii DEI, quidam ut nobis similes considerentur. Humana, ut fallibili nixa testimonio, pro ratione dexteritatis & sinceritatis testimonium aut certa est aut probabilis, hæcque iterum aut vera aut falsa. Fides vero divina est acceptatio veritatis divino testimonio cognitæ, & non potest non semper eatenus esse certa & vera, quatenus res sunt tales quales testimonio rite percepto iudicantur & acceptantur, cum impossibile sit DEUM falli vel fallere. Hinc Ebr. XI: 1. *ἰσχυρὰς* substantia, actualitas atque certa quadam presentia, & *ἐλεγχος* convictio approbationem & acceptationem excitans nominatur; testimonium autem innuitur, cum res dicuntur *ἠπίστωτα* & *ὄν ὁρατά*, quæ neque per experientiam neque rationem innotescunt; divinum autem erit testimonium, quod nos de iis quæ sperantur, h. e. futuris hominesque latentibus, certiores facit.

§. I.

Missis ceteris hisque impropriis fidei in sacro Codice significationibus, fidem sic dictam subjectivam sive qua creditur contemplamur. Objectum ejus aut est indeterminatum vel commune, sive quæcumque propositio divinitus revelata, aut determinatum vel singulare, sive certa quadam in spe-

cie; priori respectu dogmatica sive generalis, posteriori specialis audit. Illa terminatur acceptatione aut theoretica & simplici, ut hominum mere historica Act. XXVI: 27. aut practica & efficaci, eaque vel non salutari, ut diabolorum, Jac. II: 19. vel salutari, ut hominum virtute verbi tactorum Jon. II: 5. & fidelium 2. Cor. IV: 13. quæ iterum est aut evangelica aut legalis. Hæc vero aut potentia & voluntate DEI per se vel in se miracula patranda nititur, & fides miraculosa sive mirifica activa vel passiva nominatur, Luc. XVII: 5, 17. aut satisfactionem & meritum Christi ad se in individuo applicat, & fides iustifica atque (in se & actu primo semper Eph. II: 8. actu secundo vero in fine vitæ Matth. X: 22) salvifica audit Rom. V: 1, 2. quæ itaque est *acceptatio fiducialis veritatis testimonio divino cognita, de merito Christi universali sibi imputando ad iustitiam & salutem; sive actus continuus hominis, peccata sua omnia cum tadio sentientis & detestantis, a spiritu sancto per verbum Evangelii i generatus, quo, coram tribunali iustitiæ DEI in foro conscientie constitutus, Christum Mediatorem inter se & DEUM cognoscit, cognitum agnoscit & agnitum ita acceptat, ut merita ejus sibi imputanda cupiat, appropriet, & nil ultra ad iustitiam & salutem querat.* Hæc ratione formæ & in se una est Eph. IV: 5. & quidem semper directa, non vero semper reflexa, quamvis quoad accidentia variet, & sit ratione subjectorum infantum vel adulatorum; ratione graduum supplicans vel triumphans, parva vel magna; ratione

exercitii actualis vel habitualis, ratione durationis temporaria vel perseverans sive finalis.

§. III.

Ut autem distincte procedat indagatio momenti ortus fidei salvificæ, ejus tum partes, tum quomodo & apud quem quibusque remotis oritur, exponemus. Actus sive partes fidei a Theologis nostris varie recensentur. Quidam quatuor numerant: notitiam, assensionem, desiderium & fiduciam, sive notitiam, assensum, fiduciam & *πληροφορίαν*. Alii duas, nempe assensum spiritualem & fiduciam voluntatis. Nonnulli assensum dicunt formam & essentiam fidei generalis, notitiam ejus necessarium antecedens & fiduciam generalem necessarium consequens; specialis vero unum esse actum fiduciam specialem, continentem in intellectu assensum specialem & in voluntate acceptationem alienæ satisfactionis. Alii appropriationem fiducialem voluntatis dicunt esse fidem salvificam, notitiam autem & assensum ad prærequisita fidei referunt, sine quibus fiducia progigni nequit. Plerique tamen Theologi tres statuunt partes fidei: notitiam assensum & fiduciam; a qua partitione non est quod recedamus, ne entia præter necessitatem multiplicemus, neque obscuritatem notioni fidei affundamus, ita tamen, ut, cum in fide generali objecta sint & legalia & evangelica, adeoque non tantum grata sed etiam ingrata, loco fiducia acceptationem retineamus, quæ

ad utraqve se extendit, cum fiducia gratis tantum adhareat. Neque enim illos, qui fidem generalem notitia & assensu absolvi statuunt, aliter intelligere possum, quam quod sub vocabulo assensus, licet eum ad intellectum referant, commotionem voluntaris ad acceptandum intelligant, cum in omni fide adsit acceptatio. Rem enim cognitam & approbatam intellectus voluntati acceptandam ut veram presentat, quod voluntas recusare non potest; quamvis ejus ideam, si inclinationi suæ contraria sit, obfuscare & remove conetur, Act. XXIV: 25. In fide salvifica objectum est gratissimum, adeoque summo jure vocari potest fiducia; ita tamen, ut hoc termino fiducialis acceptatio intelligatur. Nam, ut magnus quidam Theologus ait: *In omnibus judiciis acceptatio requiritur. Qui alienam solutionem non acceptat, is sub reatu manet solvendi. Justificatio est actus judicialis, DEUS judex est, nos sumus rei, Christus satisfecit. Ut vero ejus nobis imputetur satisfactio, necesse est, ut in hac satisfactioe adquiescamus & hoc meritum Christi acceptemus.*

§. IV.

Notitia itaque fidei salvificæ est cognitio sive apprehensio intellectualis cognoscitiva Christi Mediatoris, adeoque reconciliationis ejus & inde fluentis promissionis gratiæ, eaque supernaturalis, clara & explicita sive ex partialibus suis ideis composita, evangelica & vera; neque tantum litteralis sed ab-

solute spiritualis & ad cognoscentem applicata; qualis est ejus, qui summa in penuria constitutus amicum audit pecunias sibi promittentem & offerentem; adeoque non mortua, ut pictura in tabula, sed per illuminationem actu secundo salutarem completa; viva & efficax, ut mediante illa, per λόγον Ἰησὺς αἰκῆς accensa, tanquam λόγῳ ἐμφύτῳ, Spiritus S. excitet approbationem & acceptationem fiducialem, alias enim non posset vocari vita æterna, Job. XVII: 3. Assensus sive apprehensio intellectualis approbativa est actus intellectus veritatem ejus approbans, quo tam vera judicatur, quam DEUM veracissimum habet Auctorem, tamque necessaria acceptatu voluntati hominis in specie sistitur, ut illam non credere salute immediate excludat, 1. Tim. 1: 15. Fiducia sive acceptatio fiducialis vel apprehensio appropriativa est actus voluntatis, quo homo eandem, ut se in individuo concernentem & ad se pertinentem acceptat, ardentur appetit sibi que appropriat, ut in ea requiescat & ad justitiam salutemque nil ultra quærat, Ps. LXXIII: 25, 26. Omnes tres actus concurrunt in unam fidem, quemadmodum omnes partes unum constituunt totum, adeo ut uno absente nec fides adsit salvifica, nec reliqui actus definitionibus respondeant allatis. Notitia sine assensu est potissima ex parte obscura, sine fiducia mere litteralis, 1. Cor. VIII: 2. Assensus sine notitia est impossibilis, sine fiducia formidine oppositi circumvallatus vel notitia necessitatis credendi non fundatus. Fiducia sine notitia est deceptrix & vana præ-

præsumtio, Jer. VII: 4 sine assensu inconceptibilis, cum non nisi prælucente intellectu voluntas decernere possit. Ubi autem, scrupulis & obstaculis per præcedentes motus in intellectu & voluntate remotis, notitia evadit completa & illum attingit luminis gradum, qui in fide salvifica est & esse debet, ibi assensus & fiducia sine mora oriuntur, cf. Luc. XI: 36. Nam evangelium rite perceptum est vis divina excitandi fidem, Rom. 1: 16. X: 17. quapropter etiam cognitio Christi dicitur justificans & salvans Es. LIII: 11. Joh. XVII: 3. Hinc patet accurate loquendo, notitiam hanc non esse fidei antecedens neque fiduciam ejus consequens, utcumque necessarium, neque notitiam & assensum esse prærequisita fidei, cum ingrediantur ejus essentiam, quod de antecedente, consequente, prærequisito, qua tali, dici nequit. Neque statui potest assensum esse essentiam & formam fidei, cum pars essentialis non sit essentia, nec solus constituat fidem. Fiducia est quidem complementum & quasi anima fidei, non tamen ejus essentia, quoniam notitia & assensu ad fidem constituendam carere nequit.

§. V.

In instanti oritur ens, cujus determinationes essentialia omnes simul existere incipiunt, si autem alia earum post aliam incipit, successivus dicitur ortus. Ubi separabilia in re sunt essentialia, ibi ortus successivus locum habere potest, & talis est

fides

fides generalis, quæ diversa acceptat objecta, tot scilicet propositiones, quot testimonio divino innotescunt. Harum quædam antecedunt, quædam sequuntur, una autem ad ipsum hominem applicata continet primarium objectum fidei salvificæ, nempe: Semen mulieris contrivit caput serpentis, sive, Christus omnibus hominibus adeoque mihi promeruit justitiam & salutem. Fides enim generalis singulas propositiones seorsim ut infallibiliter veras crediturque dignas acceptat; specialis salvifica autem conjunctim & in fundamento dogmatico connexas, quod omnis homo peccator in Christum credens (adeoque ego) justificetur & salvetur gratia DEI per fidem propter meritum Christi, Rom. III: 23, 24, 25. Jam in antecedentibus probatum est, notitiam, assensum & fiduciam in fide salvifica esse conjunctissimam in intellectu & voluntate; sicut gustus dulcedinis, representatio ejus & appetitus eodem oriuntur momento. Hinc unicum actum faciunt compositum, qui unicam propositionem fundamentalem apprehendit; unde fidem hanc tum non requirere moram, sed in instanti, in uno *instanti*, oriri patet; ut in horologio partibus rite preparatis & connexis, ponderis gravitas agere & tota machina moveri incipit. Possibilitatem ortus ejusmodi instantanei agnoscunt omnes, qui fidem infantibus per baptismum donari credunt, quæ, ut completa, notitiam, assensum & fiduciam, nobis licet ineffabilem, continet. Apud adultos quoque collationem initiorum fidei, quoad primam cogitationem

sanctam & desiderium in instanti fieri conceditur. Hi actus autem, nisi transeuntes fuerint motus boni evangelici, adeoque ad præparatoria fidei & fidem generalem pertinentes, sunt ipsa completa fides. Nam cogitatio sancta, per evangelium sufficienter perceptum in subjecto capaci excitata, quid est nisi notitia & assensus, atque desiderium evangelicum, quid nisi exercitium fiducia? adeoque fides adest iustifica & salvifica, cum objectum recte se habet. Idem innunt exempla in Scripturis varia, nec desunt exempla nostris temporibus ejusmodi ortus fidei in instanti manifestissima. Qui itaque regenerationem per donationem fidei salvificæ definiunt, & eam nihilominus successive fieri volunt, eo ipso confundunt fidem generalem cum speciali salvifica, & hanc cum præparatoriis gradibusque ejus successione admittentibus. Marc. IV:28.

§. VI.

Subjectum sive ens, quod præter essentiam, ut capax aliorum prædicatorum consideratur, vocatur inhaesionis, si prædicatum fuerit internum, & quidem quod vel quo. Cum fides sit notitia assensus & fiducia, prioresque ad intellectum, postrema ad voluntatem vi definitionis pertineant, has animæ facultates ejus subjectum quo sive parziale esse patet. Ipsa vero anima est primum, & corpus, cujus ope testimonium percipit, secundarium, adque totus homo ejus subjectum inhaesionis quod
sive

sive totale; sive sit infans per Sacramentum initiationis regeneratus Matth. XVIII: 6. Gal. III: 27. sive adultus 1. Joh. V: 1. Talis autem non est quivis auditor vel Lector evangelii 2. Theff. III: 2 Ebr. IV: 2. Alii enim ne quidem intelligunt testimonium DEI in verbo loquentis, adeoque destituuntur noticia. Alii ei ita non attendunt ut rite convinantur, adeoque rem practicam theoretice acceptantes, ad fiduciam non perveniunt, Joh. V: 44. XII: 39. Requiritur itaque ab homine, penes quem oritur fides, fracta resistantia & ejusmodi attentio ad Evangelium, ut per plenam & sufficientem, sive ut a Theologis dicitur spiritualem & perfectam illuminationem, consequatur eam cognitionem Christi Mediatoris, qua rapitur ad approbationem & acceptationem fiducialem. Resistentia frangenda est duplex, naturalis & malitiosa. Illa est incapacitas, non absoluta, qualis apud brutum, Ps. XXXII: 9. sed respectiva, sponte sese operationi Spiritus gratiam in Christo datam adplicantis subjiciendi 1 Cor. II: 14. quia cum necessitate repugnandi est conjuncta Rom. VIII: 7. Eaque omnibus ex carne genitis est communis, quatenus sunt ψυχικοί sive in naturalibus suis viribus constituti, atque lumini rationis plus justo tribuunt in rebus salutem animæ concernentibus, & motiva actionum suarum ex illa sola depromunt. Hæc vero sive malitiosa est propositum voluntatis sine probatione seria in statu suo naturali permanendi, conjunctum cum verbi & Sacramentorum neglectu aut illegitimo usu, & amore

peccati in genere Jer. VIII: 6. aut hujus vel illius in specie Ez. XXXII: 31. Utramque frangit DEUS primis motibus inevitabilibus, & illis admittis insequentem operationem; posteriorem ut non sit, cum alias omnia incassum forent 2. Tim. III: 7, 8. priorem ut non noceat, cum penitus eradicari in hac vita non possit Gal. V: 17. His fractis, homo luce verbi irradiatus, a gratia præveniente ad attentionem excitatus perque evangelium vocatus, salutem æternam magni habere incipit & ad curam ejus gerendam incitatur. Videt vero penes se maxima impedimenta sibi ob stare, quo minus ad eam perveniat, primumque illud, quod viæ Domini sit ignarus, unde quæstio oritur: *quid me oportet facere ut salver?* Act. XVI: 30. Hac solitudine actus informationem audiendo legendo & meditando e verbo DEI quærit, quod faciens dicta & legis & evangelii perlustrat, præsens autem ejus conditio facit, ut illa potius quam hæc sibi applicet; donec totus ejus status miserrimus ita appareat, ut se servum peccati, abominabilem DEO, imo damnatum sentiat & agnoscat; quo sensu iræ & maledictionis, reatus culpæ, pænæ & dominii peccatorum inquietus, agitatur & impellitur ad attendendum evangelio, quod ostendit Mediatorem & in ejus merito reconciliationem cum DEO.

§. VII.

Sunt autem duo proxima fidei salvificæ obstacula,

cula, quibus remotis oritur, nempe falsa fiducia
 five collocatio fiduciæ in falso objecto, & incredulitas
 five absentia fiduciæ. Hæc negationem fidei aperte involvit; ubi enim fiducia deest, ibi neque
 notitia & assensus eam habent indolem, ut partes fidei salvificæ dici queant, Tit. I: 16. Illa insuper
 loco fidei veræ aliam subornat, & per opinionem nullius indigentia longius sic ab illa recedit, ut
 etiam notitiam ejusque quæstionem impediatur. Hinc Pharisæismi perniciositas; hinc relapsis difficilior
 reditus! Cardinalia illa, quibus fiducia falsa adhærere solet, enumerantur Joh. I: 13, tria, nempe:
αἷματι, θέλημα σαρκός & θέλημα ἀνθρώπου. Sanguis in
 N. T. præter propriam significationem aliasque translatas,
 denotat semen humanum, ut Act. XVII: 26. adeoque, cum de
 generatione sermo est, & præsertim in plurali positum, per
 metonymiam adjuncti pro subjecto parentes majoresque quibus
 inhæsit. In his confidentiam poni, tot sunt testimonia, quot
 gloriationes Judæorum se ex semine Abrahami esse. Volun-
 tatem carnis nihil aliud esse, quam vires naturales liberi sic
 dicti arbitrii, five studium cuiusvis homini naturale sectandi
 felicitatem & fugiendi interitum, eo clarius patet, quod
 carni quæ tali, non competat voluntas, & ceteræ signifi-
 cationes carnis id quod homini præsertim corrupto naturale
 est indicent, in quo homines fiduciam collocare solere
 quis novit. Voluntas autem viri est studium fautoris
 cujusdam clientem vel socium suum beandi, cui qui
 confidit, in hominibus fidu-

ciam ponit. Ad tria hæc, per analogiam, faciliter referri possunt fulera reliqua falsæ fiduciæ. Nam qui fidit se in gremio ecclesiæ esse natum, Christiani nomen habere & veram religionem profiteri, quid aliud facit, quam qui putat se salvatum iri, quod parentes vel majores habuit acceptos DEO, quorum nomine morumque externorum imitatione gloriatur. Qui rursus fiduciam in eo collocat, quod perspicaci gaudeat intellectu magnaque in Theologicis quoque doctrina, vitam externe honestam degat, quæque homini possibilia sunt faciat, cf. Matth. XIX: 20. vel se saltem posse emendare vitam suam & convertere se ad DEUM, aut nunc, si placet, aut futuro tempore vitæ, quam progandam fore dementer sperat: nonne is viribus humanis plus justo tribuit & naturalem suam voluntatem sufficientem salutis obtinendæ causam existimat? Qui tandem confidit alios homines bonam de ipso opinionem fovere, vel se piorum consortio uti, & plures inter illos habere amicos, qui pro eo precibus apud DEUM intercedunt; de cetero autem ipse securus salutis vivit, is omnino hominibus confidit, & fiducia falsa a vera impeditur fide, cfr. Joh. V: 44. Imo, quod adhuc pejus est, sunt, qui DEUM ipsum T. O. M. in numerum horum referunt fautorum, putantes eum his similem esse, nec tam accurate nobiscum agere, Ps. L: 21. Hinc quædam peccata domestica minus nociva existimant, aut media salutis ex opere operato salvare confidunt, aut motus in mente bonos legales vel

evangelicos sufficere putant, iisque compertis ad-
 quiescunt, aut coactionem legis ad opera exercen-
 da sequentes vitam se satis piam Deoque placentem
 vivere putant, sicque justitiæ legis inhiærentes magis
 magisque a Christo & fide aberrant, Gal. V: 4. Hæc
 & similia falsæ fiducia fulcra removentur illuminati-
 one legali, quæ ostendit omnes hominis corrupti
 cogitationes inclinationesque mentis esse corruptas
 Matth. XII: 33 - 35. & sic quæcunque sibi fingat
 media perveniendi ad DEUM & salutem æternam
 esse falsa & insufficientia 2. Cor. III: 5. adeoque
 aliud esse quærendum Gal. III: 24.

§. VIII.

His remotis succedit desperatio, hominem aut
 in pejorem rursus securitatem carnalem repellens,
 aut in miseriam Caini protrudens, aut in exitium
 Judæ præcipitans, nisi incredulitas frangatur, quam
 Lex radio evangelii collustrata arguere quidem, non
 vero tollere potest. Est autem incredulitas non ac-
 ceptatio, averfatio vel rejectio veritatis coelestis &
 in specie meriti Christi divino propositi testimonio.
 Aut enim incredulus fugit usum Evangelii, aut si
 eo utitur, ei ita non attendit, ut Christum Media-
 torem inter se & DEUM esse unicum & perfectis-
 simum, fideque sola apprehendendum, sufficienter
 convincatur. Ostendit autem incredulitas sese in
 hoc stadio dubitatione, non tam de poenitentia
 sinceritate, quæ si sola fuerit, præsertim in statu ten-
 tatio-

tationis, de fide testatur, ut sensus morbi de vita ægroti, quam de omnimoda plenitudinæ reconcilia- tionis. Hinc peccata exaggerat, quasi eam supera- rent & extraordinarium gratiæ sensum quærit, ti- moreque fervili & aliis affectibus inordinatis, cf. Luc. XXIV: 41. ortum fidei impedit. Quamdiu hæc dominatur in mente, fides adesse non potest, sed desperatio magis magisque invalescit. Dominium autem hoc frangit Evangelium assidua collaudatione gratiæ divini, a parte hominis immeriti a parte Christi promeriti; donec hæc incredulitatis fulcra, & quidem opinione celerius, collapsa locum relin- quunt contritioni salutari sive tristitiæ secundum DEUM 2. Cor. VII: 10, qua homo contristatur non tam ob poenam quam peccata, & ab illorum foeditate & dominio liberari cupit. Hic lex & E- vangelium conjunguntur & amicas sibi porrigunt manus. Lex justum esse DEUM ostendit hominem- que indignum omni & multo magis extraordinaria gratia, quod homo agnoscit & acceptat, Lev. XXVI: 41. Luc. XV: 19. Evangelium simul osten- dit justitiam DEI non excludere gratiam, quoniam Christus illi satisfecit & hanc adquisivit, homi- nemque promissioni gratiæ firmiter adhærere posse; & in hac conjunctione momentum fidei salvificæ est quarendum.

§. IX.

Nostra tamen non est sententia, quasi hæc ob-
sta-

ſtacula fidei ſeorſim & paulatim removerentur apud
 ſingulos ad fidem ſalvificam perducendos. Licet e-
 nim apud omnes inveniantur, cum corruptio na-
 turæ ſit eadem apud omnes mater ferax quorum-
 cunque impedimentorum, Rom. III: 9 &c. Deſt
 tamen ſingulis hominibus occaſio ſingulis obſtaculis
 adhærendi. Quidam enim ſerius ad fidem veniunt,
 quoniam aut ſecuritate carnali aut ſervitute legali
 retardantur; adeoque eo plura impedimenta apud
 illos veniunt removenda, quo longius ſibi ſumunt
 ſpatium cum carne & ſanguine conferendi. Qui-
 dam autem citius abſiſtunt a repugnantia & opiri-
 one celerius concipiunt fidem, ut vix audito Evan-
 gelio Chriſti, juſto ordine & ſolide propoſito, ob-
 jectum juſtificum mox cognoscant, agnoſcant & fi-
 ducialiter acceptent; adeoque apud illos gratia non
 monomachorum more hoſtes paulatim debellat, ſed
 confuſam multitudinem uno vel alio icu proſter-
 nit & proſſigat. Tales fuerunt fere audire Pe-
 tri Act. II: 41, 42 aliique. Id itaque tantum i ten-
 dimus, hæc aliaque ejusmodi non poſſe dominari
 in anima dum fides oritur. Debet enim homo fi-
 dem ſalvificam concepturus mediante fide ſene li
 eo perducī, ut non ſit in ſpiritu ejus dolus Pf.
 XXXII: 2. vel non ſit *διψυχ* Jac. I 8. adeoque
 ex lege miſeri ſtatus ſui ita convinci, ut ſe eſſe
 natum & educatum inter Chriſtianos niſi ad rem
 facere ſentiat, ſequē non poſſe ſe ipſum juvare, nec ab
 aliis quibuſcunque creaturis juvari, neque per icu n
 oculi tuto adquiſcere in peccatis & inprimis in *amīa*

omnium eorum gravissimo; in summa: se nihil habere, & opus tamen esse, quo præsentissimam evitet damnationem. Debet simul ex Evangelio veritates, media, ordinem & fundamentum fidei concernentes, ita sibi reddere cognitæ, ut, usu illorum pulsa ignorantia & resistantia, sufficientem notitiam meritorum Christi concipiat, quæ rationem in se sufficientem assensus & fiducia hæbet. Eleganter hanc rem depingit Petrus 2. Ep. 1: 19. cum cor hominis assimilat caliginoso loco; Scripta V. T. in quibus clarius lex quam Evangelium splendet, lucernæ apparenti, quæ illuminationi legali radio evangelii vocantis collustratæ respondet; illuminationem evangelicam, quatenus fidem generalem accendit, diei illucescenti, & vivam illam Christi Mediatoris notitiam, qua accensa Spiritus DEI assensum excitat & fiduciam ingenerat, Phosphoro in instanti super horizontem conspicuo. Idque sequenti fere procedit modo, ut jam operationem legis supra breviter ostensam prætereamus; cum ex, gr. ego, coram tribunali justitiæ divinæ in foro conscientiæ meæ constitutus & damnatus, audio vel ex auditis in memoriam revoco fide hominem salvari; hanc veritatem intellectus meus a Spiritu Sancto illuminatus approbat, voluntasque de salute anxia acceptat & imperio suo intellectum ad ulteriorem incitat attentionem. Ille paret & percipit fidem esse dirigendam in Christum, eum missum a DEO, *et in hoc mundo*, legi subiectum, passum & mortuum, non sua sed hominum omnium adeoque mea causa, resurrectione & ascensione demonstrasse perfectionem redemptionis, jusse hoc prædicari omnibus & singulis, ut credant, &

absque omni merito & opere suo vel aliorum gratis justificentur & salventur &c. Hæc intellectus meus seorsim approbat, voluntasque acceptat, continua quasi respiratione sive fluxu & refluxu, atque tandem, impellente Spiritu Sancto, jubet intellectum omnia in summam colligere, quam percipiens, approbans & acceptans, Christum Mediatorem inter me & DEUM apprehensione cognoscitiva approbativa & fiduciali mihi proprio, partemque in merito ejus universali avide mihi desidero, vindico & in eo recumbo; gemens: o! quam verum Te me quoque reconciliasse DEO: o! quam bonum me participem reddi meriti Tui, propter Te solum justificari & salvari, liberari e servitute peccati & Tibi ministrare atque in vita & morte adherere! En momentum ortus Fidei Salvificæ,

§. X.

Veritatem hujus rei probant tum varia Scripturæ effata tum ipsa natura fidei salvificæ, qua a generali discernitur. Quoties enim Scriptura promittit gratiam DEI & salutem pauperibus spiritu, lugentibus, mansuetis, esurientibus & sitientibus justitiam, Matth. V: 3. &c. laborantibus & oneratis Cap. XI: 28. invocantibus nomen Domini Act. II: 21. Deumque in contrito & humili spiritu habitare asserit Es. LVII: 15, atque in tenebris ambulantem DEO fidere & niti jubet Cap. L: 10. & sic porro; toties statum ejus, in quo oriatur fides, describit. Estque hæc fides diversissima a fide diabolorum & hominum adhuc irregeneratorum. Isti enim

in genere acceptant vera esse quæ DEUS testatur, & ad se ea tantum applicant, quæ concernunt justitiam ejus vindicativam & permissionem mali; inde contemiscunt Jac. II: 19. hinc alacritatem sygiam commo- strant, cum rem ipsis succedere prænu- ciat 2. Chron. XVII: 21. Job. I: 12. Hi vero sive irrogeniti, si fidem suam putant salvificam, vel ex eo capite se ejus exper- tes esse demonstrant, quod hæc apud hominem non nisi coram tribunali justitiæ, divi- næ in foro conscientiæ constitutum oritur & vim suam primariam exferit; quo ne veniant, impii & hypocritæ solcite cavent, Joh. III: 20. Credunt vero (nec se incepisse credere sciunt, sed semper credidisse putant) quia alii credunt, atque sic incommodum sibi attraherent, nisi eandem profiteren- tur fidem; item, quia sic a teneris edocti sunt ungvicu- lis & adsveti, nihilque habent quod opponant; vel quia res fidei dictamini rationis non adversantur, licet eas non capiant, cum & multa naturalia sibi incognita esse fateri cogantur, & tandem quia exoptatum inde sibi conficere possunt medium, quo mordentem ali- quando conscientiam sopire queant. Dum autem fides salvifica incipit, homo probatione status sui conscien- tiam vigilantem servat, ad tribunal justitiæ ductus tribunal gratiæ respicit & Christum apprehendit, grati- amque DEI merito ejus fundatam avidissime desiderat & sibi appropriat; unde charitatem firmum quæ DEO obediendi propositum concipit & tenet.

Πίστις κέρει βοηθῆι με τῆ ἀμαρτίας. Marc. IX: 24.

S. D. G.

* *
*

* *
* *
*